

re, quod promurale sinus sit Patris, in quo positus unigenitus filius enarrat omnia, & enunciat Ecclesie sue quaecumque in secretis, & in absconditis patris sinibus continentur. Unde & quidam ab eo edoctus dicebat: Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Illuc ergo evocat sponsam suam Christus: ut & de omnibus eam quae apud patrem habentur edoceat, & dicat: Quia omnia vobis nota feci, quae audivi a patre meo: & ut iterum dicat: Pater, volo ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, & vineas nostrae florebunt. Secundum dramatis ordinem mutata est persona: non enim jam ad sponsam, sed ad sodales loquitur sponsus: & ipse dicit, ut capiant vulpes pusillas, quae insidiantur vineis, ubi primum germen ostenderit, nec sinunt eas pervenire ad florem. Capi ergo eas praecipit, saluti & utilitati consulens vinearum. Sed haec ut copimus spiritali expositione discutienda sunt. Et puto quod si de anima haec quae se verbo Dei conjungit ad veritas, vulpes contrariae potestates, & nequitiae demonum intelligi debeant, per cogitationes pravas & intelligentiam pervertam, exterminantes in anima virtutum florem, & fructum fidei perimentes. Provisio igitur verbi Dei, qui est Dominus virtutum, mandata angelis suis qui ad ministerium missi sunt propter eos, qui haec ad veritatem capiunt salutis: ut capiant ex unaquaque anima hujusmodi cogitationes a daemonibus immixtas, ut abjectis eis possint florem virtutis asserere. Capiunt autem cogitationes malas in eo, cum suggerunt menti non esse eas a Deo, sed esse a maligno spiritu: & dant animae discretionem spirituum, ut intelligat quae sit cogitatio secundum Deum, & quae sit ex diabolo. Ut autem scias esse cogitationes, quas immittit diabolus in cor hominum: vide in Evangelio quod scriptum est: Cum autem immisisset, inquit, diabolus in cor Judae Iscariotis, ut traderet eum. Sunt ergo hujusmodi cogitationes quae a daemonibus injiciuntur in cordibus hominum. Sed quia non deest divina providentia: ne forte per hujusmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrii, & non esset justa causa iudicii: idcirco benignis angelis & amicis potestatibus, hominum cura mandatur: ut cum deceptores quasi vulpes incurfare ceperint hominem, dextris eum auxiliis sublevent. Et ideo dicitur: Capite nobis vulpes pusillas. Complementer sane cum adhuc pusillae sunt, capi eas mandat & comprehendit. Dum enim cogitatio mala in initiis est, facile potest abjici a corde. Nam si frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam sine dubio ad consensum, & post consensum intra cor suum confirmatum, certum est quia ad peccati tendat effectum. Dum ergo in initiis est, & pusilla est, capi debet & abjici: ne si adulta fuerit, & inveterata, jam non possit expelli. Denique & Judas initium mali habuit in amore pecuniae. Et haec fuit illi vulpes pusilla. Sed ab hac cum videret Dominus Judae animam quasi florentem vineam laedi, capere eam volens, & abjicere ex eo: commisit ei pecuniae loculos, ut possidens, a cupiditate quod amabat cessaret. Sed ille utpote habens sui arbitrii libertatem, non est amplexus medici sapientiam: sed indulsit semetipsum illi magis consilio quo exterminabatur anima sua, quam quo sanabatur. Si vero haec de Christo & Ecclesia intelligamus, sermo videbitur ad doctores Ecclesiae dirigi, & mandari eis de captione vulpium exterminantium vineas. Vulpes autem perverfos doctores haereticorum dogmatum possumus intelligere, qui per argumentorum calliditatem seducunt corda innocentium, & vineam Domini exterminant, ne florent in fide recta. Datur ergo praecipitum doctoribus Catholicis: ut dum adhuc pusillae sunt istae vulpes, & nondum plures animas decepterunt: sed initium habet prava doctrina, arguere hos, & refrenare festinent, & verbo veritatis contradicentes, revincere, & capere hos assertionibus veris. Si enim permanserint in principiis, & indulerint, sermo eorum sicut cancer serpit, & fiet insanabilis: ut multi inveniantur qui decepti ab eis, pugnare jam pro ipsis incipient, & defendere suscepti erroris auctores. Sic ergo pusillas dignum est vulpes capere, & dolosa haereticorum sophismata, in ipsis statim initiis, veris assertionibus confutare. Ut autem utriusque expositionis nostrae evidenter clarescat assertio, congregemus ex divinis voluminibus, sicut animalis hujus mentio facta est. Invenimus ergo in sexagesimo secundo psalmo de impiis ita dici: Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam: introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. Sed & in Evangelio secundum Mattheum Salvator ad

scribam, qui dicebat ei: Magister, sequar te quocumque ieris; Respondit: Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidus ubi requiescant: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Similiter autem & in Evangelio secundum Lucam, ad eos qui dixerunt Domino: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Respondit Jesus: Euntes dicite vulpi huic, Ecce ego ejicio demonia, & sanitates perficio hodie & crastina, & in die tertia consummabor. In libro quoque Judicum Samson, cum uxor quae erat ex genere Philistinorum ei fuisset ablata, ait ad patrem ejus: Innocens sum ego hac vice ab Allophylis, quia faciam vobiscum mala. Et abiit Samso, & accepit trecentas vulpes, & accepit lampades, & ligavit caudam ad caudam, & posuit lampadem unam inter duas caudas vulpium, & accendit ignem in lampadibus, & emisit eas per messes Allophylorum: & incendit omnes messes eorum, & stipulas eorum, & vineas eorum, & oliveta eorum. Adhuc autem in secundo libro Esdrae, ubi Tobias Ammanites impeditur adificationem eorum qui de captivitate redierant, ut adificarent templum & murum, ait ad Allophylas: Nunquid isti sacrificabunt, aut comedent immolata in hoc loco? Nonne ascendent vulpes, & destruent murum ipsorum quem ex lapidibus adificavit? Haec sunt interim quae ad praesens nobis ex scripturis divinis occurrere poterunt: in quibus animalis hujus memoria facta est, ut ex his sapiens quisque lector prudenter possit conicere: si apta usi sumus expositione in his quae proposita sunt nobis ad explanandum id quod ait: Capite nobis vulpes pusillas. Et quamvis operosum sit singula quae exempli causa assumpsimus explanare: tamen quae poterimus, breviter contingemus. Et primo de sexagesimo secundo psalmo videamus, ubi cum iusti animam persequerentur impii, ille psallebat, dicens: Ipsi autem in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terrae: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. In quo utique ostenditur, quod vanis & inanibus verbis pravi doctores decipere volentes animam iusti, introire dicuntur in inferiora terrae: terram utpote sapientes, & de terra loquentes: atque in inferiora ejus, id est, in profundum stultitiae descendentes. Puto enim quod hi qui carnaliter vivunt, quia sibi ipsis tantummodo nocent, terra vanis & in terra habitare dicuntur. Hi vero qui terrenis & carnalibus sensibus scripturas intelligunt, & alios ita docendo decipiunt, pro eo ipso quod argutias quasdam & argumenta carnalis & terrenae sapientiae concinnant, in inferiora terrae dicuntur ingredi. Vel certe quia gravius delinquant, qui terrena docent, quam qui ita vivunt: eis futura poena etiam gravior imminet: idemque ipsi in manus gladii tradendi prophetantur, illius fortassis flammei & versatilis. Quomodo autem & partes vulpium fiant, videamus. Omnis anima aut pars est Dei, aut pars est cuiuscumque qui accepit potestatem super homines. Nam cum divideret altissimus gentes, & dispergeret filios Adam, statuit fines gentium, secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini Jacob. Cum ergo conset unamquamque animam, aut in parte Dei, aut in parte esse alterius cuiuslibet: quoniam quidem per arbitrii libertatem possibile est unumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius (ipso juvante) elegerit: vel si nequius, ad demonum portionem: hinc horum mentio habetur in psalmo: Qui in vanum quaesierunt animam iusti, partes erunt vulpium: veluti si diceret, & pessimorum & nequissimorum demonum partes erunt, ut unaquaeque maligna virtus & dolosa, per quam deceptiones & fraudes fallae scientiae introductae sunt, figuratim vulpes appellentur: & hi qui in hunc errorem deducuntur, & nolunt acquiescere sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & doctrinae quae secundum pietatem est, sed decipi se patiuntur a talibus: isti talium partes vulpium fient, & introibunt cum eis in inferiora terrae. Ipsi sunt & illi, in quibus secundum Evangelium vulpes istae quas supra memoravimus, foveas habere dicuntur, in quibus filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Herodem quoque vulpem nominatum, pro fallaci calliditate credendum est. Nam de Samson qui trecentas vulpes cepisse, & colligasse per caudas, atque interjecisse lampades ardentis in medio caudarum, atque immisisse per messes Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliveti, vincique memoratur: valde mihi difficilis forma hujus, vel figurae videatur explanatio. Tentemus tamen aliqua ex his pulsare pro vitiis: & ponamus (sicut expositio nostra in superioribus con-

tinet) vulpes esse fallaces perversosque doctores. Hos Samson (qui veri & fidelis imaginem tenet doctoris) capiens verbo veritatis, caudam ad caudam colligit, id est, adversantes sibi, & diversa a se invicem sentientes, docentisque confuter: atque ex ipsorum verbis propositiones collectionesque accipiens, in Allophylorum segetem, ignem conclusionis emittat: & ex propriis eorum argumentis, omnes eorum fructus atque vineas & oliveta pessima generationis incendat. Sed & ipse numerus trecentarum vulpium, quae a semetipsis diversa & dissonantes erant, triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum aut in facto, aut in verbo, aut in consensu mentis admittitur. Verum ne illud quidem quod in secundo libro Esdrae scriptum diximus, pernitius omittendum est. Ubi cum edificarentur sancta sanctorum: id est, cum fides Christi & sanctorum eius mysteria conderentur, inimici veritatis, fideique contrarii (qui sunt sapientes hujus saeculi) videntes absque arte grammatica & peritia philosophica confingere muros Evangelii, velut cum irrisione quadam, dicunt perfallere hoc posse destrui calliditate sermonum per astutas fallacias & argumenta dialectica. Haec interim (quantum brevitatis potuit pati) de assumptis exemplis dicta sufficiant. Nunc jam ad propositum revertamur. Videatur ergo in Cantico Canticorum praecipitum dari ab ipso, amicis sibi virtutibus: ut capiant & arguant contrarias potestates, quae insidiantur animabus hominum, ne exterminent eorum initia fidei, floremque virtutum sub specie secretae alicujus, & occultae sapientiae: quae quasi vulpes in foveis: ita in his hominibus qui semetipsos ad haec scandalum praebuerint, delitescunt: & quo facilius confutari possint & argui, dum parvae sint vulpes ipsae, & initia habent pessimae persuasionis, capi jubentur. Nam si forte creverint, & majores fuerint vulpes effectae: jam nequeant ab amicis spon-

si, sed ab ipso fortassis sponso solo capi poterunt. Sed & sancti quique doctores & magistri Ecclesiae, sicut acceperunt potestatem calcandi super serpentes & scorpiones: ita accipiunt potestatem etiam capiendi vulpes. Sic enim data est potestas eis super omnem virtutem inimici. Una sine dubio ex ceteris inimici virtutibus est vulpes, quae exterminat vineas florentes: quaeque cum adhuc parva est, capi jubetur: sicut & in centesimo tricesimo-septimo psalmo, beatus dicitur qui tenet & allidet parvulos Babylonis ad petram, nec permittit sensum Babylonium crescere in semetipso, & augeri: sed cum inest initiis, allidit eum, & tenet ad petram, tunc enim facile perimitur. Sic ergo ordo explanationis percurrat. Capite vulpes nobis pusillas, quae vulpes exterminant vineas florentes. Quod autem dicit, nobis: hoc est, mihi sponso & sponsae, vel certe mihi & vobis, qui estis sodales mei. Potest autem & ita accipi, Capite nobis vulpes, & post distinctionem dici, pusillas exterminantes vineas, ut pusillas non tam ad vulpes quam ad vineas referamus, ut videantur pusillae quidem vineae exterminari posse, id est, parvae quaeque anima, & initia habentes, non firmae & robustae laedi posse a contrariis potestatibus: sicut in Evangelio dicitur: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis: in quo ostenditur quia scandalizari non potest grandis & perfecta, sed pusilla & rudis anima: sicut in psalmo dicitur: Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum. Simili ergo exemplo potest videri, quod pusilla quaeque vinea, incipiens videlicet anima, possit ad vulpibus: id est, malignis cogitationibus, vel pravis doctoribus laedi: perfecta vero & valida non possit. Sed si capiantur a bonis doctoribus vulpes istae, & abjiciantur ex anima, tunc proficiet in virtutibus, & floreat in fide, Amen.

Quatuor Homiliarum in Cantica Canticorum, finis.

IN JOB PROEMIUM.

JOB, qui dolens vel magnus interpretatur, figuram Christi portavit. Amici vero ejus figuram haereticorum tenent, qui sub nomine Christi, Christum blasphemant & impugnant, Helium vero & Baalam, typum praefertur Philosophorum, qui a foris: id est, extra fidem positi, insidiantur Ecclesiae Dei. Isti enim pretiosa nomina sibi imponunt, quasi ipsi sint aeternum Dei, vel praecipui speculatores ejus. Eliphaz enim in Latino, Dei mei aurum sonat. Baldad, praecipuus vetusta secreta. Sophar speculator, vel buccina. Hi enim elati pro eo quod per naturam bonum, aliqua sapienter praedicabant, apud se jactantes severitatem, cum assertores sint mendacii: quia de Christo, non ut divinitati ejus, sed ut ipsorum impietati competit, sic loquuntur.

COMMENTARIUM IN JOB.

Caput I.

VIR erat in terra Huz, nomine Job. Et erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum, & recedens a malo. Nati sunt ei septem filii, & tres filiae. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum: quingenta quoque iuga boum, & quingente asinae, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis. Cumque in orbem transisset dies conviviis, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos: Tom. V.

consurgensque diluculo. Huz & Buz filii fuerunt Nachor fratris Abraham, filii Melchae fororis Sarae, de cujus stirpe Job descendit. Non sicut quidam falso suspicantur de genere cum fuisse Esau. Nam Eliphaz nascitur de Ada uxore Esau, & regnavit in Theman, unde etiam Themanites dicitur est. Theman, Idumaea, Seir Daroma, Zebora, regio fuit Esau. Habitat autem Job vir magnus in terra Huz, quae interpretatur consiliatrix. Sed & Elchana, qui interpretatur possessio Dei, pater sanctissimi Samuelis Prophetae, vir unus appellatur: non enim per diversa mobilis atque instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir unus erat: & idcirco in monte Ephraim fructifero morabatur. V u j

In alta scilicet contemplatione virtutum, ut à nullis subjacentibus & circumstantibus vitiorum agitationibus, mentis ejus sublimitas deiceretur, vel unitas scinderetur. Proinde hic vir magnus atque egregius Job, in terra Huz habitasse perhibetur, quæ consiliatrix interpretatur. Non enim terra carnis ejus, animum ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat: unde & ipse ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Hoc ergo consilium & pactum quondam sibi invicem inierunt, homo ejus interior & exterior: ut terra, id est, caro ejus, obediendo fieret consiliatrix spiritui, ne in ea dominaretur iniquitas. Et quia vir, juxta divinum testimonium, simplex erat, habitans in domo: quatuor his pollebat virtutibus, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia.

Offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: *Ne forte peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens ait: Circumivi terram, & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo? Cui respondens Satan, ait: Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus universamque substantiam ejus per circumitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. Cum autem quadam die filii & filia ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti: nuncius venit ad Job qui diceret: Boves arabant, & asina pascabantur juxta eos, & irruperunt Sabæi: tulerruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus ut nunciarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit: Ignis Dei cecidit de caelo, & calcas oves puerosque consumpsit: & effugi ego solus ut nunciarem tibi. Sed adhuc illo loquente, venit alius & dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos: necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filii tui & filia tui vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehementer irruit à regione deserti: & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus ut nunciarem tibi. Pro filiis tuis, quos ita regebat, ut non tam pro presentibus criminibus, quam pro occultis in corde peccatis, quæ hominum quoque fugere notitiam possunt, divinam elementiam assiduis sacrificiis exoraret. Privilegium verò offerendi primogeniti, vel maxime regibus debebatur: pro excellentia videlicet sapientie vel nobilitate generis. Et quia tyrum Christi Job ferre diximus, videamus nunc quid terra Huz in Christo significet. Terram hanc, assumptum verum hominem ex Maria intelligimus, quæ ideo filio Dei assumptum eam consiliatrix dicitur, quod per divinitatem assumptis habitant in ea thesauri divinæ sapientie & scientie absconditi: quam sibi ita indissolubili connexione conjunxit, ut ipse in Trinitate unus sit Filius Dei. Septem verò filii, septiformem Spiritum sancti gratiam: & tres filia, legem & Prophetiam, & Evangelium nobis videntur significare. Oves plebem Christi, propter innocentiam, quæ in baptismo fordes peccatorum deposuerint nominat. In camelis verò, gentium pravitatem, cum oneribus criminum & tortuosis sensibus ad Christum ventientium ostendit. In bobus qui munda animalia sunt, Judæorum plebem. In asinis verò immundum pecus, gentium populum demonstravit. Unde Isaias ait: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus pascens Domini sui; scilicet quod nativitatem Christi in carne & Judæi ex parte, & gentes agnoverunt: & in præsepi altaris Domini, quasi munda animalia per baptismum acceperunt: fortè ad hoc respicit illud Evangelii: Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. In jugo, Judæos: in asino, ad quem onus magis pertinet, gentes, ut supra diximus significavit. Magnus, dicitur Christus inter omnes Orientales, secundum illud: Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Numerus verò animalium in septem & tribus millibus, atque in quingentis**

sacratum est. Nam septem juxta auctoritatem scripturarum, plenitudinem quamdam sacri mysterii significant: ut ibi, *Septem spiritus, septem candelabra, septem Ecclesie.* In tribus verò millibus: anima & corpus & spiritus, vel triformis doctrinæ scientia, in Scripturis sanctis, sive sacramentum beatæ Trinitatis potest intelligi: pro eo quod omnis multitudo credentium, trium dierum viam ambulans, ad perfectionem æternitatis desiderat pervenire. Quingenti verò qui de quinque confurgunt quinquaginta, quinquaginta-quinque faciunt, peractis lubricæ ætatis fragilitatibus, in virum perfectum hominem transisse significant: & per decies quinos quinquaginta perveniunt, ita per decies quinquagenos ad quingentos ascendunt. Similiter Ecclesiam totam, quæ columnam & firmamentum veritatis Christi figurat: in qua sensus nostri, vel purificationem, vel remissionem peccatorum accipiunt: quia in isto numero non solum remissio peccatorum, sed etiam adventus sancti Spiritus declaratur. Filii verò Dei, vel angeli, vel sancti intelligendi sunt, qui dono gratiæ Spiritus sancti Filii Dei vocantur. Inter hos ergo diabolus altare dicitur: quia ex permissione Dei plerumque sanctos audeat tentare. Miranda filiorum Job tam fraterna concordia. Sed quia Job tyrum Christi portare ostendimus: hos inferius per figuram septem gratias Ecclesiæ esse dicimus, qui spirituali funguntur sacramentorum convivio, legem, prophetiam, & Evangelia: quasi tres forores secum habentes, divinatorum eloquiorum intelligentiæ dapibus saturantur. In ruina verò domus, quæ oppressit filios Job: antiquorum principum, regnorum persecutionem vel servitium contra Ecclesiam ostendit. Qui verò solus permansit ut nunciaret, raritatem ipsorum persecutorum indicat, Sabæi interpretantur captivi: & Chaldaei quasi demonia: hi nempe captivi demonum impugnant Ecclesiam: hi non solum ubi possunt, abigunt greges dominicos, verum etiam eos igne suo, quem cæli esse mentiuntur, hæresibus vel superstitionis pravitatem consumunt. Præsentia etiam regum ventu violentissimi similitudine violenta, quatuor Evangelii velut angulis confirmatam, Christi domum concutiunt: ut prædicti septem filii, & tres filia pariter cum ipsa domo intereat.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua: & tonsa capite corruens, in terram, adoravit & dixit: *Nudus egressus sum de utero matris mee, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Surrexit ad tolerantiam patientiæ. Nam & Job, id est Christus, ad pacem dandam Ecclesiæ surrexit, ut gestum significet vindictæ. Vestimenta verò scidit: fideles ab infidelibus separavit. Procidit in terram, cum se de forma Dei usque ad formam servi exinanivit. Nudus egressus est de utero matris suæ, nulla videlicet forde peccati originalis aspersus. Ex persona hominis ait: Dominus dedit, & Dominus abstulit. Dedit pater bonos in hereditatem, & malos à regno filii sui seclufit.

In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Hoc ait: quia stultè loqui non potuit sapientia patris: neque peccatum committere immaculatus agnus.

Caput II.

FACTUM est autem cum quadam die venissent filii Dei, & staret coram Domino: venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan: *Unde venis? Qui respondens ait: Circumivi terram, & perambulavi eam. Et ait Dominus ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Job: quod non sit ei similis in terra: vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan ait: Pelle pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: aliouin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem: & tunc videbis quod in faciem benedicit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva. Egressus est igitur Satan à facie Domini: & percussit Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es: Si bona sus-*

cepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei: venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque elevari procul oculos suos, non cognoverunt eum. Non quòd Deus ignoret, sed ut nos doceat, quid responderit Satan, qui interpretatur adversarius.

Et exclamantes ploraverunt: scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. Nam & omnes hæretici Christi amicos se esse dicunt, cujus se sanguine redemptos gloriantur. Et postmodum inimici efficiuntur ejus, impugnando Ecclesiam suam. Quòd autem videntes plagam ejus: sciderunt vestimenta, & miserunt pulverem super caput suum: illos hæreticos significat, qui Christum in gloria cælesti Deum credunt: incarnationem & passionem non credunt: sed opprobriis & humiliatione ejus offensi, in blasphemiam erumpentes, fidem scindunt, atque à corporis unitate discedunt. Et pulverem mittentes super capita sua: terreno & mortuo sensu, corda sua operunt atque obruunt. Omni etiam tempore vitæ suæ, quæ in septem diebus ac noctibus contingit: indignum os suum confessione divina, muta infidelitatis improbitate condemnant: & obstruunt os loquentium iniqua.

Caput III.

POST hac aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras.* Post hæc, sicut ait scriptor hujus historice, quem Moysem esse tradit opinio: Aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, dicens: *Pereat dies in qua natus sum: & nox in qua dictum est: conceptus est homo. Job qui tyrum habuit salvatoris in se, humani generis mortalitatem deservit: quæ propter peccatum ex Dei justa sententia, homini inflicta est. Pereat dies in qua natus sum: redeat per Christum immortalitas, quam Adam reatu prævaricationis amisit: & abeat mors à me, quem alio deliquente contraxi. Et Jeremias: Maledicta dies, in qua natus sum. Unde nulli dubium est, quòd hi omnes prævaricationem Ade detestentur. Spiritualliter ergo dies cum sua nocte, diabolus & mortalitas possunt intelligi: non quia dies sit, sed quia fuerit quando permanebat cum Deo, à quo recedens factus est nox, vel quia impiis ac peccatoribus, in hac prosperitate & felicitate gaudentibus, dies esse videatur. Unde dicitur,*

Auferetur ab impiis lux sua. Non requirat eum Deus desuper. Hoc est, ne fiat ejus memoria ante Deum in bonum.

Et non illustretur lumine. Recognitionis Dei, vel penitentia.

Obscurent eum tenebræ & umbra mortis. Tenebræ, peccata sunt & invidia. Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Id est, cæcitas cordis.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Quia ad amaritudinem provocat Deum, sicut & ceteri satellites ejus: furore iræ Dei apprehensus, circumdetur omnibus malis, & involvatur. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: id est, diabolus, qui diem felicitatis homini abstulit, & noctem inquietæ vitæ turbulentus invexit.

Non computeur in diebus anni. Annus Christus intelligitur, qui in se cuncta revolvit & continet. In hujus ergo diebus anni, non computeur diabolus: id est, sanctorum numero non conjungatur.

Nec numeretur in mensibus. Menses hoc loco sanctos Apostolos rectè intelligimus, qui ut ligna paradisi, spirituales Ecclesiæ afferunt fructus.

Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Apostolorum scilicet predicatione, ubi dies salutis agnoscitur, quam Abraham vidit, & latatus est.

Maledicant ei qui maledicunt diei: qui parati sunt suscitare Leviatan. Sancti utique diei prævaricationis mortis suæ cum detestatione maledicunt: qui non serviendo vitii, sus-

citant contra se draconem, fortissimum scilicet hostem.

Obtenebrentur stella caligine eius. Peccatores scilicet qui in nocte, sæculi divitiis & honore lucere se putant, cæcitate caligine tenebrentur, & merito suo, Evangelii lumen non videant.

Expectet lucem, & non videat. Nec nox prævaricationis & mortis, in qua diabolus regnum tenet, potest lumen redemptoris Christi cognoscere: neque illi qui in ea nascuntur, nisi eam per baptismum renati destruxerint.

Nec ortum surgentis aurora. Resurrectionem Christi significavit: unde in psalmo, vigilia matutina dicitur.

Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me: nec abstulit mala ab oculis ejus. Quare non in vulva mortuus sum? Quare egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus generibus? Cur lactatus uberibus? Sub periona sua, humani generis plangit miseriam: quare iterum moriturus, mala istius vitæ patiat: quare mortalem ipsa mors non extinxerit in utero?

Nunc enim dormiens siletem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulis terra, qui edificavit sibi solitudines: aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento. Principes, & Reges, & Consules, & si in inferno squalores tartareos patiuntur: nunc tamen in corporibus suis tormenta non sentiunt: horum mortem mihi venire hac conditione voluissent.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem: vel qui concepti non viderunt lucem. Variis modis & exemplis dicit, quòd penas istas in quibus erat non debuerat pati. Quare non in vulva mortuus sum? Et deinceps ait: *Nunc autem dormiens siletem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulis.* Fortè exemplum contra eos est, qui dicunt non resurrecturos, nisi qui juxta naturam ordinem nati fuerint. Si enim concepti moriuntur in utero, necesse est, quia vivi fuerint: & quicquid moritur, haud dubiè quia resurget. Ita quod in membris fuit & vixit, & natura minus dederit: hoc resurrectione in integrum reparabitur: sic enim humani generis instauratio in melius totum reddet, quod natura fraudaverat. Dicit etiam abortiva, quæ in natura humana degenerata sunt, à penis esse aliena, qui sibi solitudines magis quam domus adificiant. Habitat enim diabolus in civitatibus desolatis, & in domibus desertis: non habentes hospitem Deum, & possident aurum, ut sunt philosophi, & alii sapientes hujus mundi, fulgorem boni ingenii, splendoremque eloquii.

Ibi impij cessaverunt à tumultu. Procul dubio in inferno. Et sicut septuaginta transferunt, ibi impij deposuerunt furor suum: id est, typhus & superbia, cum servitia in hoc sæculo gloriantium, humiliata est in inferno.

Et ibi requieverunt fessij robore. Sicut alia habet translatio: ibi requieverunt fatigati corpore: ab oppressione utique & miseria, labore etiam istius mundi liberati.

Et quondam vincij pariter sine molestia. Vincientes & quondam vincitos in inferno dicit pariter habitare, sine injuria tamen & molestia vinculatorum: non ita ut istis ubi præter penas, captivitate vel servitute dura: diversis etiam aliis calamitatibus, homines obligantur, dominatu & injuria iniquorum.

Non audierunt vocem exactoris. Justa imperantium vel iniquè exigentium, non verentur.

Parvus & magnus ibi sunt: & servus & liber à Domino suo. Quare misero data est lux ista, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Cum sit ergo ut video in inferno æqualitas personarum: & nullus de alterius dominatione formidat: cur mihi misero data est lux ista, & vita similis eis qui in amaritudine animæ suæ sunt, cum meliora sint inferorum ergastula, quam istius mundi miserabilis vita cruciatibus plena: ubi præ angustis homines mortem querunt, & magno desiderio, ut veniat, expectant. Exemplum egræm adhibuit, dicens: Quasi effodientes thesaurum: quia nimirum utique gratulantur, cum optatam sibi invenerint sepulchrum.

Virò cujus abscondita est vita, & circumdedit eum Deus tenebris. De se dicit: sic itaque incidebam in mandatis Dei, credens quòd mihi fructus justitiæ meæ responderet; sed absconditum est meritum vitæ meæ: & pro hoc penarum tenebris circumdatus sum: ita ut illud bonum mihi subtraherem